



# The Holy See

---

BENEDICTVS XVI

*EPISTULA DATA  
GODEFRIDO S.R.E. CARDINALI DANNEELS,  
ARCHIEPISCOPO MECHLINIENSI-BRUXELLENSI*

*Venerabili Fratri Nostro  
GODEFRIDO S.R.E. CARDINALI DANNEELS  
Archiepiscopo Mechliniens-Bruceellensi*

Sancti Remigii, Episcopi Remensis, Francorum regni celeberrimi apostoli, magni pastoris plurimumque dioecesium conditoris, merito commemoranda sunt sanctimoniae documenta sedulaque evangelizationis opera. Millennium vero iucundissimum obvenit ab illo die quo Remensis venerandi cathedralis templi incohata fuit aedificatio, quod nempe illi Sancto fuit dedicatum. Idcirco sollicitus eiusdem metropolitanae Ecclesiae sacrorum Antistes Venerabilis Frater Theodorus Jordan comiter Nos certiores fecit de singulari hoc eventu postulavitque Patrem Purpuratum qui partes Nostras digne ageret.

Sequentes igitur vestigia Decessorum Nostrorum, qui antea pluries iam pondus sancti Remigii et Remensis Ecclesiae in sacris Galliae et Europae annalibus extulerunt, cupientes simul benevolentiam et caritatem Nostram dilecto Pastori omnibusque ibidem christifidelibus palam ostendere, libentes accepimus eius petitionem. Quapropter te, Venerabilis Frater Noster, veluti Nostrum Missum Extraordinarium ad honorificam hanc legationem explendam fidentes destinamus. Tu enim ecclesialibus negotiis explendis assidue incumbis et in sacro Patrum Cardinalium collegio emines virtutibus simulque sancti Remigii spiritalem successionem tua in regione recepisti diligenterque curare pergis.

Die igitur VII proximi mensis Octobris liturgicis celebrationibus Nostro nomine Remensi in urbe praesidebis Nostramque benignam omnibus significabis salutationem. Congregatos christifideles invitabis etiam ad novam incohandom evangelizationem et catholicae fidei, spei et caritatis

constantem testificationem, praesertim ad fidelitatem servandam erga Dei praecepta necnon perantiquam istius Populi christianam traditionem.

Ipse autem Deus et Pater noster et Dominus noster Iesus dirigat viam tuam ad fideles illic congregatos, eos autem abundare et superabundare faciat caritate in invicem et in omnes, ad confirmando corda eorum in sanctitate ante Deum et Patrem nostrum (cfr 1 Thess 3,11-13). Insuper comitetur missionem tuam potens intercessio Beatissimae Virginis Mariae, Reginae Sacratissimi Rosarii, atque insignis sancti Remigii, Episcopi. Benedictionem denique Apostolicam, caelestis gratiae auspicem atque propensa Nostrae voluntatis testem, tibi in primis impertimus, eamque illius Ecclesiae assiduo Archiepiscopo, ceteris praesentibus Episcopis, sacerdotibus, Seminarii tironibus, religiosis viris et mulieribus, christifidelibus laicis, civilibus magistratibus omnibusque sacrorum rituum participibus nomine Nostro largiaris volumus.

*Ex Arce Gandolfi, die X mensis Septembbris, anno MMVII, Pontificatus Nostri tertio.*

**BENEDICTVS PP. XVI**

© Copyright 2007 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana